PROGRAMM

des

KÖNIGLICHEN GYMNASIUMS

und der

HÖHEREN BÜRGERSCHULE

zu

STADE.

Ostern 1877.

Inhalt:

I. Lucubrationes Propertianae. Scripsit Conradus Rossberg.
II. Schulnachrichten. Von C. H. Plass, Director.

Stade, 1877.
Druck von A. Pockwitz.

1877. Progr. Nr. 264.

I.

Lucubrationes Propertianae.

Scripsit Conradus Rossberg.

Praefaturus eram de necessitudine, quae inter Propertii libros manuscriptos intercedit, cum Baehrensii schedae Tibullianae in manus meas venerunt, in quibus vir doctissimus se codicem Propertii Neapolitano haut dissimilem invenisse dicit novamque editionem criticam huius poetae instituturum promittit. Quae res me adduxit, ut in praesens a proposito desisterem et expectandum statuerem, ecquid futurum esset, ut ex illius codicis collatione clarior quaedam lux quaestionibus nostris affunderetur. Nam in regionibus satis obscuris filum Ariadnes quaerere eos, qui in familiis librorum Propertianorum investigandis operam suam collocent, non ei ignorant, qui vel mediocriter in eo labore desudarunt. Differens igitur quaestiones illas in tempus magis opportunum pauca praemittam de tempore et condicione archetypi librorum Propertii, unde, quam miserabilibus auxiliis in hoc poeta recensendo suppeditemur, cognoscatur et, quibus rationibus in tractandis eius carminibus usus sim, perspiciatur.

Constat litteris Colucii Salutati anno 1374. ad Casparum de Broaspinis datis in Petrarcae bibliotheca tum temporis exemplar Propertii extitisse. Unum illud ab antiquitate ad renascentium litterarum aetatem pervenisse certum quidem non est, sed veri simillimum. Nam somnia eorum, qui codicem N. saeculo XIII. aut XII. exáratum esse putabant, a L. Müllero in praef. ad Propert. p. IX. satis feliciter mihi pulsa videntur. Docet autem ipse status et mirus consensus librorum nostrorum archetypum non ita difficilem fuisse ad legendum. Desunt enim fere in libris nostris, si nominum propriorum scriptiones excipias, monstra illa verborum, quibus aliorum quorundam scriptorum libri, quorum archetypus saeculis prioribus attribuendus est, referti sunt. Concludi inde potest exemplar illud, cui omnes libri nostri originem debent, non multo ante ipsos antiquissimos codices nostros scriptum esse. Dicam quod sentio. Ex illo exemplari in Petrarcae bibliotheca asservato, quod cuius aetatis fuerit ne hariolari quidem licet, transscriptum est circiter annum 1400. unum aliud, unde paullo post partim ipsi libri nostri

partim eorum patres et avi profecti sunt. Causa, cur tam sero neque plus unum exemplar e Petrarcae libro deductum esse putem, haec est. Ipse status qui nunc est carminum Propertianorum alta voce clamat tempore nescioquo exemplar Propertii extitisse, quod miserrimo habitu uteretur. In libro enim secundo et tertio excidisse alia, alia falsum locum tenere, in omnibus autem libris innumeros locos corruptos esse manifestissimum est. Fuit igitur, puto, exemplar illud lacerum, paginis solutis, litteris evanidis. Tale fuisse a l i q u a n d o exemplar nemo negare potest, ego vero ipsum illud Petrarcianum eo statu fuisse suspicor. Incidit autem in manus scioli nesciocuius, non prorsus indocti neque satis docti, qui medicas manus Propertio applicaturus carminibus eius ita opitulatus est, ut plena salus nullo tempore speranda sit. Suo enim arbitrio pannos diversissimos consuit, lacunas, si qua hiare videbantur, explevit, verba obscurata aliis et eis saepe ineptissimis commutavit. Si non omnia fallunt, sic vel similiter in Propertium grassatum est. Nam quae hodie extant carmina Propertii nomine insignia si ipse auctor a mortuis resuscitatus aspicere posset, multis locis sua non agnosceret. Quonam autem potius tempore hominem tam pinguis ingenii tantaeque temeritatis extitisse putemus, quam in confinio XIV. et XV. saeculi? Huius hominis apographon fuit, e quo tamquam fonte profluxerunt omnes, quotquot aetatem tulerunt, libri. Vetus ille codex laceratus, deformis, lectu difficilis, cum tam praeclara adesset nova recensio, postea spretus et oblivione, quod vehementissime doleas, obrutus est neque spes ulla fore, ut denuo ad lucem protrahatur.

Librorum, quos habemus, optime archetypum expressit Neapolitanus, huic proximus Vossianus est, interpolati Mentelianus et Dresdensis, foedissime interpolati Heinsianus et Groninganus*). Hamburgensis codex eo nomine laudandus, quod de exemplari non nimis corrupto transscriptus et certa quadam cognatione cum Neapolitano coniunctus est. Sed de his rebus alias uberius disseram.

Haec habui, quae in universum de Propertii libris praemittenda putarem: nunc vero transiturus ad singula peto, lector benivole, ut, quae docendi munere interdiu functus noctibus non paucis elucubravi, aequi bonique consulas.

I, 1, 19. 20.**)

At vos, deductae quibus est fallacia lunae
Et labor in magicis sacra piare focis.

Omnium, qui hunc locum explicare conati sunt, interpretum haut scio an nulli contigerit, ut verum sensum eliceret. Omnes enim ad unum duo esse cola

*) Plus ducentis locis demonstratur, quam audacter et insipienter huius cod. librarius in tradita verba invectus sit. Qui si tamen nonnullis locis meliora praebet, quam reliqui libri, ibi quoque eius lectione non ut antiqua, sed ut coniectura utendum est.

**) Errasse F a l t i n u m (progr. Eisenberg. 1876.) totum hoc carmen Propertio abiudicantem alio loco uberius exponam. Hic satis habeo affirmare multis indiciis in hac prima elegia obviis ipsam Propertii manum prodi. Quorum gravissimum illud est, quod, qui mos Propertii in prioribus libris frequens est pentametros verbo plus quam disyllabo claudendi, in hoc quoque carmine septies observatur.

enuntiationis putabant, quorum prius esset quibus est fallacia deductae lunae, alterum quibus labor est piare. Sic distinguentibus maxima existebat difficultas in interpretando fallaciae verbo, cuius significationem miro modo variare cogebantur. Neque aliter verbis deductae lunae insolitum sensum subesse existimabant. Videamus, quomodo singuli interpretati sint. Gebhardus in Crepundiis, ut testatur Broukhusius, vocem fallaciae pro fascinatione et praestigiis positam esse putat, unde factum est, ut lexica v. gr. Forcellinii, Georgesii, Klotzii eam significationem exhibeant, scilicet nullius loci auctoritate praeter nostri fultam. Frid. Gottl. Barthii interpretatio haec est: „Fallacia pro arte ponitur, cuius ratio latet. Deductae ponitur pro deducendae usu poetis frequentissimo.“ Hertzbergus (quaest. Prop. p. 120.) inter exempla participii perfecti pro gerundio [potius gerundivo] positi etiam verba fallacia deductae lunae affert totum v. 19. sic interpretans: „quorum fallacia in luna deducenda iam iamque deducta apparet, vel, si per infinitivum solvas: qui soletis deducere atque adeo deduxisse.“ Luc. denique Müller reprobans, ut videtur, vocis fallaciae significationem tropicam usque eo hunc locum desperavit, ut corrigendam lectionem censeat et pro fallacia legi fiducia malit. Non dubito, quin omnes lectores, quantumvis una alterave interpretatione acquieverint, tamen magis minusve ab hoc loco recesserint non satiati. Liceat igitur nobis novam explicandi viam aperire nostro iudicio multo expeditiorem. Cum interpretes illi enuntiationem, de qua agitur, bipartitam iudicarent, quarum partium nomina praedicativa essent fallacia (L. Müller fiducia) et labor, nos unum tantum nomen praedicativum statuimus et id quidem labor, cui subiecta sunt et fallacia et piare. Emergit igitur hic sensus: „Vos, qui laboratis in fallacia deductae lunae et in sacris super focis magicis piandis.“ Iam, quid sit fallacia deductae lunae, videamus. Magos sagasque simulasse se deducere posse lunam, qua adiuvarentur in perficiendis operibus suis nocturnis, notissimum est. Huc spectant, quos conferas, loci Platon. Gorg. p. 513 A: *τὰς τὴν σελήνην καθαιρούσας τὰς Θετταλίδας*. Hor. epod. 5, 46. 78. Verg. ecl. VIII, 69. Tib. I, 8, 21. Prop. III, 28, 37. V, 5, 13. Ovid. her. VI, 85. amor. II, 1, 23. 5, 38. metam. VII, 207. XII, 263. Petron. 129 sub fin. Mart. IX, 29, 9. Sed cum videlicet homines isti ea, quae promittebant, saepenumero praestare non possent, ars eorum apud homines sapientiores eam, qua apud vulgus utebatur, fidem amisit et fallax habita est. Quamobrem ipsi lunae, cuius maxime auxilio se artem suam exercere magi simulabant, hoc loco a nostro fallacia tribuitur. Neque nunc deductae per deducendae interpretari opus est; iustum sensum habebis, si ad verbum interpretatus eris. (Ihr jedoch, die ihr euch abmüht mit der trüglichkeit des herabgezogenen mondes und damit auf zauberherden opfer zu heiligen.)

At, dicat quispiam, inusitata verborum structura. Et est inusitata, sed non nostro. Infinitivos enim et substantivos *ἐκ παραλλήλου* poni unique praedicato adiungi ex his ipsius Propertii locis cognosces.

IV, 18, 11. Quid [1]genus aut [2]virtus aut [3]optima profuit illi
Mater et [4]amplexum Caesaris esse focos.

Quattuor subiecta, quorum tria priora substantiva sunt, quibus extremo loco infinitivus respondet.

IV, 4, 1. 2. Arma deus Caesar dites meditatur ad Indos,
Et freta gemmiferi findere classe maris.

IV, 9, 37—40. Non flebo in cineres arcem sedisse paternos
Cadmi nec semper proelia clade pari,
Nec referam Scaeas et Pergama Apollinis arces
Et Danaum decimo vere redisse rates.

Haec duo exempla a primo ita differunt, ut illic subiecta hic obiecta mixta habeas. Sed satis est haec attulisse; si plura desideras, cf., quaeso, II, 1, 19 sqq. III, 19, 11 sq. 28, 5. 6. 29. 35. 36. IV, 1, 25—28. 4, 13—18. 11, 53. 12, 25—36. 17, 21—27. V, 2, 53 sqq. 9, 39—41.

Fieri potest, ut aliquis miretur, quod vocula et insueto loco posita sit. Sed si acrius intenderimus, non tam hanc, quam commune utrique enuntiationis parti praedicatum locum mutasse videbimus. Ceterum ne hic quidem verborum ordo poetis, in primisque Propertio, insolitus, id quod collatis his locis nostro non dissimilibus tibi persuadebis III, 12, 23 sq. 23, 11 sqq. IV, 9, 23 sq. 13, 27 sq. cf. etiam, si placet, Horat. carm. III, 4, 6. 22, 17 sqq. sat. I, 10, 19.

I, 3, 16.

Osculaque admota sumere et arma manu.

Haec optimorum codd. scriptura praeter Groningani, qui et omittit fortasse ea de causa, quod in exemplari suo non legit, cum ceteri removendi hiatus studiosi ineptissime, ut videbimus, illam voculam interponerent.

Quid significent verba oscula et arma sumere, Lachmannus et post eum Hertzbergus interpretari quidem conati sunt zeugmate durissimo, sed conatus eorum merito non invenit, qui probarent. Absurda esse verba ista iam priores senserunt, neque defuit, qui medelam allaturus esset, I. Fr. Gronovius. Is legi volint ad ora, quod Hauptius recepit. Quam coniecturam, cum non satisfaceret, repudiantes Baehrensius et cum eo Lucianus Müller, itemque Kochius in symbola philolog. Bonn. p. 321. eiecta vocula et ut interpolata pro arma scriptum fuisse cara suspicantur idque aliquot locis Tibullianis et Ovidianis probare student. Nos, quibus ea emendatio minime displiceat, tamen aliam invenisse nobis videmur, quae propius etiam accedat ad traditas litteras. Facilius enim arma fieri potuisse per errorem describentis ex eis litteris minusculis, quae sunt grata, quam e cara pro certo habemus neque timemus, ne cui minus poëtice dicta videantur oscula grata, quam cara.

I, 12, 9.

In constituendo hoc versu omnes, quod sciam, editores optimi codicis scriptura reiecta neglectisque reliquorum vestigiis unum librum Heinsianum secuti sunt. Sic enim apud Lachmannum, Hertzbergum, Hauptium, L. Müllerum legitur:

Invidiae fuimus: num me deus obruit, an quae . . . .

Non ita in archetypo fuisse, sed codicis H. librarium suo arbitrio illud num reposuisse ex comparatis ceterorum codicum scripturis clarissime apparet. Nam cum G. nunc, Hb. D. M. non exhibeant, in N. autem compendium ñ, quod modo non, modo nunc significat, extet, in archetypo idem illud compendium pictum fuisse consectarium est. Iam si quaerimus, cur interpretes relictis melioribus ad Heinsianum suspectae fidei librum confugerint, causa inde nobis videtur repetenda, quod verba invidiae fuimus non recte explicarunt. Etenim si deficientibus aliorum interpretum commentariis Hertzbergi et Iacobi versiones germanicas inspicimus, quorum alter: sicher es traf uns der neid, alter: das hat ein neidisches auge getan vertit, utrumque de fascinatione, quae oculorum aspectu efficitur (cf. Catull. 5, 12. Verg. ecl. III, 103. Plin. VII, 2, 2.), cogitasse videmus. Atque verba invidiae fuimus num omnino id significare possint, quod illi interpretes expresserunt, alii diiudicent: hoc loco certe alium istis verbis sensum subesse ego spondeo. Ac primum eo, quod plurali forma fuimus poeta utitur, non se simul et Cynthiam, ut Hertzbergo videtur, sed solum se ipsum intelligi vult. Tum vero illis verbis nihil aliud significatur, quam poetam propterea, quod pulcherrima amica frueretur, omnium in invidia et admiratione fuisse. Quod ita esse toto sententiarum ordine demonstratur. Dicit enim Propertius se olim Cynthiae gratum fuisse, unde factum sit, ut illo tempore nemini contigerit, ut simili fide amare posset, et ipse summae invidiae i. e. admirationi fuerit. Hanc loci nostri sententiam esse magis etiam tibi comprobabitur, si hos locos nostri simillimos comparaveris.

III, 17, 11. Quem modo felicem invidia admirante ferebant,
Nunc decimo admittor vix ego quoque die.
III, 26, 21. Nunc admirentur, quod tam mihi pulchra puella
Serviat et tota dicar in urbe potens.
Tibull. IV, 13, 5. Atque utinam posses uni mihi bella videri!
Displiceas aliis, sic ego tutus ero.
Nil opus invidia est, procul absit gloria volgi.

His expositis non dubium esse potest, quin optimi codicis compendium ñ per nunc transscribendum sit. Redde igitur Propertio:

Olim gratus eram; non illo tempore cuiquam
Contigit, ut simili posset amare fide;
Invidiae fuimus. Nunc me deus obruit? an quae
Lecta Prometheis dividit herba iugis?

I, 13, 13. 14.

Haec ego non rumore malo, non augure doctus:
Vidi ego: me, quaeso, teste negare potes?

Desideratur in hexametro verbum finitum, quamobrem Hauptius eiecto eo, quod est malo, substitui vult aio, similiterque Kochius (in symb. phil. Bonn.) loquor. Sed haec vis est. Alia via versus restituendi monstratur codice N. Hic enim vocabulum ego omittit: neque illud in archetypo scriptum fuisse suspicor. Adscripsit autem nescioquis, ut trunci versus numeros expleret, margini ego, unde a reliquorum codicum librariis in ipsum textum illatum est. Hoc autem verbum ut excidisse opinaretur ille, aut eo videtur adductus esse, quod ter (v. 14. 15. 19.) in subsequentibus versibus legitur, aut quod formula haec ego non bis apud Propertium initio versus occurrit (cf. IV, 17, 39. 24, 11). Quaecumque causa fuit, verum non vidit. Multo enim verisimilius est versum nostrum inter non et rumore iacturam fecisse verbi sum, quod propter litterarum verbi insequentis similitudinem librarii oculos fefellit. Scripsit igitur, ni fallor, Propertius:

Haec non **sum** rumore malo, non augure doctus.

En versum elegantissimum et verbo finito, ut par est, instructum.

I, 13, 24.

Sensit in Oetaeis gaudia prima iugis.

Sic ei, qui se maxime ad codicum scripturam applicare sibi videntur, ut Hertzbergus et priores, reddunt verba versus 24. Repugnantibus autem his verbis et Hesiodi narrationi de Herculis cum Hebe nuptiis (theogon. 950 sqq.*)) et aliorum mythographorum traditis (Diodor. IV, 39**). Apollodor. II, 7, 7***), plerique editores mutandum textum censuerunt uno excepto Hertzbergo, qui vulgatam lectionem defensurus Propertium hoc loco aliam traditionem, qua „Hercules in ipso Oeta, rogo evicto et mortalitate abdicata, Iuventae nupsisse (sic!)“ narraretur, secutum esse suspicatur. Sed hic, ni fallor, credulos nullos invenit, qui opinionem istam vano commento quam sincerae veritati similiorem probarent. Reliquorum editorum alii unum verbum, alii duo corrupta esse putant. Lachmannus enim Scaligerum verum vidisse existimans cum eo reponit ab Oetaeis iugis.

---

*) Ἥβην δ' Ἀλκμήνης καλλισφύρου ἄλκιμος υἱός,
Ἲς Ἡρακλῆος, τελέσας στονόεντας ἀέθλους,
Παῖδα Διὸς μεγάλοιο καὶ Ἥρης χρυσοπεδίλου
Αἰδοίην θέτ' ἄκοιτιν ἐν Οὐλύμπῳ νιφόεντι.

**) μετὰ τὴν ἀποθέωσιν αὐτοῦ Ζεὺς Ἥραν ἔπεισεν υἱοποιήσασθαι τὸν Ἡρακλέα κτλ. et paullo inferius: τὴνδ' Ἥραν μετὰ τὴν τέκνωσιν μυθολογοῦσι συνοικίσαι τὴν Ἥβην τῷ Ἡρακλεῖ.

***) § 15. Καιομένης δὲ τῆς πυρᾶς λέγεται νέφος ὑποστὰν μετὰ βροντῆς αὐτὸν εἰς οὐρανὸν ἀναπέμψαι. Ἐκεῖθεν δὲ τυχὼν ἀθανασίας καὶ διαλλαγεὶς Ἥρᾳ τὴν ἐκείνης θυγατέρα ἔγημεν.

Idem Schraderi coniecturam ab Oetaeis rogis ut pulchram laudat in dubio relinquens, utrum ille librariorum errorem, an ipsum Propertium correxerit. Schraderi coniecturam in textum receperunt Hauptius et L. Müller.

Quod ad me attinet, vereor, ne omnium illorum opera frustra fuerit, cum non eum locum petierint, ubi versum mendum traxisse verisimillimum est. Quid, si neque in, neque iugis corruptum sit? quid, si eis litteris, quae ab editoribus per Oetaeis redduntur, levissime mutatis et sensus idoneus oriatur et Propertium cum mythographis minime discrepare appareat?

Videamus, quae sit codicum et veterum editionum scriptura. Optimus codex N. habet aethaeïs, Hb. inaetheis (praepositione cum casu cohaerente), r. aetheis, D. acteis supra scripto oetheis, G. P. oetheis. Hos, Groningani librarium dico et Puccium et codicis D. correctorem, de Oeta cogitavisse veri simile est. Quibus quominus assentirentur, duae res recentiores editores deterrere debuerunt: primum, quod in multis codicibus eodem modo atque in optimo non oe diphthongus legitur, sed ae, quae vel per corruptam Dresdensis lectionem transparet, deinde quod in omnibus praeter unum Dresdensem non simplex littera t, sed ea cum aspiratione consociata invenitur. Minoris, tamen alicuius momenti est, quod in nullo codice ea, de qua agitur, vox littera maiuscula initiali scripta est. Ut non diutius, quid nos sentiamus, tacite habeamus, sub scriptura codicum non Oetaeis latere conicimus, sed aethereis. Quae vox si in eo exemplari, ex quo archetypus fluxit, per compendium scripta fuit aeth'eis, omisso compendio eam ipsam scripturam habes, quae in codicibus extat. Illud autem, quod in Neapolitano paenultima syllaba per ae diphthongum scripta est, nihil habet admirationis, cum omnium codicum hic potissimum ut diphthongum ae littera e, sic simplicem litteram e diphthongo permutet*). Iam igitur neque in Oetaeis iugis, neque ab Oetaeis rogis, sed in aethereis iugis Hercules gaudia prima sensit. Aethereis autem iugis aptissime Olympum significari haut scio an nemo negaverit; cf. Verg. Aen. VI, 579. VIII, 319. Martial. IX, 3 (4), 3: aetherius Olympus; Tib. I, 7, 15: aetherio contingens vertice caelum Taurus; Ovid. met. XV, 858: arces aetheriae. id. ex Ponto IV, 13, 25:

Nam patris Augusti docui mortale fuisse
Corpus, in aetherias numen abisse domos.

Vocem, quae est aethereus, non per i (aetherius), sed per e scriptam fuisse in archetypo demonstratur loco Prop. III, 16, 50, ubi cod. N. exhibet aetherea. — Obiter hic annotare liceat etiam Tibull. IV, 2, 13. pro in aeterno

*) cf. ex gr. I, 2, 15 phaebae pro Phoebe; ib. v. 22. appellaeis pro Apelleis; I, 7, 13. assiduae pro assidue; I, 8, 12. praeces pro preces; I, 13, 29. Laede pro Ledae; III. 10, 15. augustae pro Auguste; 13, 29. Oscula quae pro Osculaque; 26, 11. gurgitae pro gurgite; ib. v. 26. sanctae pro sancte, 27, 12. boraeae pro Boreae; IV, 21, 3. assiduae pro assidue; V, 1, 106. Umbrane quae pro Umbra neque e; ib. v. 121. aedit pro edit; 9, 49. caepit pro cepit; 11, 81. daeme pro de me; V, 2, 33. vaenor pro venor; 9, 22. faeta pro feta.

Olympo scribendum esse nobis videri in aethereo sive aetherio Olympo ut in eis Vergilii et Martialis locis, quos supra laudavimus.

I, 15, 29.

Multa prius vasto labentur flumina ponto.

Vox multa, quamvis omnium codicum fide nitatur, nihilominus reiecta est a plurimus editoribus eisque doctissimis, quia sensum ineptissimum praebere videbatur. Omnes enim verba vasto labentur ponto interpretati sunt de fluminibus in vastum pontum defluentibus (praeter Iacobum, qui peculiarem sententiam excogitavit, quam vide apud Hertzbergum in comm. ad hunc l.). Itaque Muretus rescripsit muta assentientibus Lachmanno, Hauptio, Luc. Müllero. Recte autem monuit Hertzbergus Mureti invento non satis ἀδύνατον, quo hic opus esset, significari eaque de causa Passeratii emendationem nulla praestare et in textum recipiendam esse censet. Nobis cum neque horum neque illorum coniectura satisfaciat, alia interpretandi ratio quaerenda videtur. Diligenter enim contuentibus nobis versum 30., qui de anni temporibus retro ducendis agit, neque mutorum neque nullorum fluminum in vastum pontum defluxus satis videtur respondere, sed una flumina retro fluentia. Quamobrem codicum scripturam intemeratam iudicantes vocem multa non mutandam esse putamus. Verba autem vasto ponto non dativo casu, sed ablativo explicanda sunt. Finguntur igitur hoc loco flumina eodem modo ac saepissime (cf. locos huc pertinentes in Hertzbergi comm. ad h. l.) ad caput recurrentia, tantum quod non fontis mentio fit, quo refluant, sed maris, unde effluant; cf. Ovid. trist. I, 8, 1:

In caput alta suum labentur ab aequore retro Flumina.

Sed ne quis forte dubitet, num simplex verbum labendi cum ablativo, quem separationis vocant, construatur a poetis latinis, testes citamus Vergilium et Tibullum, quorum verba haec sunt.

Verg. ecl. I, 63. Quam nostro illius labatur pectore voltus.

Tib. I, 6, 53. Attigeris, labentur opes, ut volnere nostro Sanguis.

II, 2, 11—13.

Cum haut pauci homines docti his versibus emendandis operam navarint, tamen operae pretium existimo denuo de eis disserere. Tam enim diversa adhibita sunt remedia ad hunc locum sanandum, ut sane dubium sit, quod ad valitudinem restituendam aptissimum videatur. Hoc igitur agimus, ut doceamus, quae, codicum vestigia si sequamur, genuina Propertii manus habenda sit.

Ex consensu eorum, qui in censum veniunt, librorum apparet in archetypo versus 11—13. hanc speciem habuisse:

Mercurio satis fertur bobeidos undis
Virgineum primo composuisse latus.
Cedite etiam divae eqs.

Pro bobeidos potius Boebeidos et Brimo pro primo scribendum esse iam prioribus interpretibus constabat: quamobrem in refutando Hertzbergo non moramur, qui vocem primo retinendam esse putavit. Difficilior est ea quaestio, quomodo lacuna, quae sine ulla dubitatione post Mercurio patet, explenda sit. In editione vetustissima Aldina verbo Mercurio particula que adiuncta est, alii post illud verbum potius et posuerunt. Recentiorum Luc. Müller Aldinam secutus est, Hauptius vero talis pro satis scribens utramque particulam repudiavit. Verum vidisse eos, qui et insererent, non solum eo probatur, quod v. 9. alterum et extat, cui hoc respondeat necesse est, sed etiam eo, quod v. 13. vocula et, quae est prima pars inepti verbi etiam, abundat. Quae quomodo in versum 13. irrepserit, facillime sic explicatur. Omissum erat, ni fallor, in eo exemplari, unde archetypus fluxit, post Mercurio illud et, postea autem in margine addebatur. Librarius autem archetypi, qui verbis et et iam iunctis etiam effici videret, particulam non suo loco reddidit, sed in v. 13. deduxit. Haec quamquam leviora videri possunt, minime tamen neglegenda sunt, cum hinc pendeat, quae in sequente verbo coniecturae admittendae, quae reiciendae sint. Nam si mecum tibi persuaseris scriptum fuisse a Propertio Mercurio et, Hauptii inventum talis quamvis ingeniosum spernere non dubitabis. Inserto enim et non tam talis, quam qualis restituendum esset. Nec vero magis nunc commendatur Domitii Calderini coniectura Sais, quae aliis quoque causis reprobatur. Rectissime enim Luc. Müller priorem huius nominis syllabam non productam sed correptam esse iudicarit. Ne multa, totum nomen Sais, tum quod in litteris latinis nusquam occurrit, tum quod eorum opinionem, qui Propertium remotissimis fabulis delectatum esse putant, non adducor, ut amplexer*), ab hoc nostro loco alienum esse censeo. Non possum, quin summo stupore me affectum esse profitear, quod Luc. Müller utrumque nomen, Sais et Brimo, iunctim posuerit. Quid enim? si revera Saïs, Minerva illa Aegyptiaca, multa cum Proserpina communia habuit, num Propertium eo progressum esse putemus, ut etiam id factum, unde graeca Hecate sive Proserpina cognomen Brimo invenit, in deam Aegyptiacam transtulerit? Credat Iudaeus Apella. Reiecta igitur Saide quod verbum sub corrupto satis latere nobis videatur, exponendum est. Miro hic fato fit, ut codices quidam deteriores ab interpolationis suspicione nequaquam liberi viam monstrent, qua ad verum perveniri possit. Horum enim librari cum pro satis scriberent sanctis, verum non viderunt quidem, sed tamen hariolati sunt. Sive enim de mera coniectura illud sanctis posuerunt, sive satis e sātis (i. e. santis, sanctis) deperditum esse putaverunt: hoc intellexerunt vocabulum quaerendum esse, quod cum undis attributive coniungi posset. Mihi autem satis non tam e sanctis, quam e sacris mutilatum videtur, quod, si littera r compendio expressa fuit

*) cf. quae diximus ad I, 13, 24.

hunc in modum sac'is, neglecto compendio in scriptura minuscula eundem, quem satis, aspectum praebebat. Sic igitur versus 11—13. restituo:

Mercurio et sacris fertur Boebeidos undis
Virgineum Brimo composuisse latus.
Cedite iam divae.

II, 3, 21, 22.

Et sua cum antiquae committit scripta Corinnae
Carmina quae quivis non putat aequa suis.

Haec omnium codicum scriptura est, nisi quod pro quivis cod. Heinsianus quamvis habet, cod. Groninganus lyrnes. Lectionis codicis H. merito ratio nulla habita est; mirum autem in modum vexavit interpretes, recentiores inprimis, Groningani codicis scriptura. Nam cum priorum aliquis, Scaliger, ni fallor, e reliquorum librorum verbis carmina quae quivis elicuisset carminaque aequaevis, recentiores inde a Lachmanno omnes aliam coniecturam receperunt (sive ea Beroaldi, sive Volsci est, nihil attinet), quae a litteris codicis G. omni sensu cassis lyrnes proficiscitur. Quamcunque enim recentiorem editionem evolveris, hoc loco invenies: carminaque Erinnes. Nubem amplexos esse pro Iunone, qui hanc coniecturam probarent, unus omnium vidit Heimreichius*) iure affirmans eis locis, ubi cum Neapolitano dissentiat, codicis G. auctoritatem esse nullam. Nos cum in aestimanda dignitate codicis G. toti ab Heimreichii parte stemus, remedium non ab hoc, sed a Neapolitani lectione ceterorum omnium codicum (Heinsiano non excepto) sustentata petemus. Levissimo autem errore lectionem quivis ortam esse putamus. Scriptum enim fuit in archetypo seu eius fonte, ut mihi quidem persuasissimum est, quinis, quod eodem minuscularum litterarum ductu scribi, quo quiuis nemini ignotum est. Quae vox cum librariis notior esset, quam quinis, bona fide transscripta est per quivis. Nunc vide mihi, quae genuina Propertii verba fuerint:

Et sua cum antiquae committit scripta Corinnae,
Carmina quae quinis non putat aequa suis.

Quae verba ne cui leges grammaticas laedere videantur, pauca addenda putavimus, quibus nebulae istae dispellerentur. Ac primum quidem, si quis dubitat, num carmina quae pronomine relativo post nomen suum posito dicere licuerit poetis pro quae carmina, ex eis exemplis, quae quasi in praetereundo collecta

*) Heimreichii de hoc loco iudicium sollicitat Grumme (De codd. Prop., Gron. et Neap., progr. gymn. Aurich. 1868 p. 24.) demonstraturus ne N. quidem codicem interpolationis labe prorsus vacare his verbis: „hoc enim loco scripturam libri Gron. lyrnes optimum emendationis fundamentum praebere solus Heimreichius non videtur cognovisse; quomodo autem verbis, quae ibidem habet N. quae quivis probabilis coniectura superstrui possit, nemo credo intelleget nec Heimr. demonstravit.“ Sed hic, suspicor, inter scribendum „deos non bene advocatos“ habuit, cum neglegeret verba quae quivis non solum in N. extare, sed etiam in reliquis codicibus longe plurimis.

afferemus, cognoscet nihil obstitisse Propertio, quin transpositionem pronominis admitteret. Dicit enim Lucretius IV, 594: per loca quae; Catull. 64, 66. 76, 9. Lucret. V, 465. Verg. georg. I, 167: omnia quae; Catull. 68, 15. 113. Lucret. V, 914. Propert. V, 10, 7. auctor Ciris 232: tempore quo; Verg. ecl. III, 42: tempora quae; Prop. III, 13, 2: spicula quot; Ovid. trist. V, 2, 25: silva feras quot alit. — Quae carmina autem notissima attractione dici pro cuius carmina uno verbo commemorasse satis habemus. Neque quinis suis pro quinque suorum offendere debet, cum distributivorum, qui vocantur, numerorum pro cardinalibus usus poetis latinis familiarissimus sit, pronomina autem possessiva eodem casu cum numeralibus iuncta etiam apud Ciceronem et Caesarem inveniantur. Qua de re cf. Ferd. Schultzii gramm. lat. § 274. ann. 2. sub fin. exemplaque ibi citata.

Totius igitur distichi sententia, si pedestri scriptori verbis exprimenda esset, sic se haberet: „et cum sua scripta antiquae Corinnae componit, cuius carmina ne quinque quidem suorum paria putat.“

Iam quamvis sat multa attulisse nobis videamur ad coniecturam nostram confirmandam, tamen nihil, quod pro nobis faciat, neglecturi animos lectorum eo advertimus, ut inspiciant, quanta versu 22., ut nos commendavimus, restituto concinnitas existat trium eorum distichorum, quibus Cynthiae artes describuntur, cum in unoquoque pentametro sententia antecedentis hexametri accuratius definiatur.

Quaeri etiam potest, cur Cynthia Corinnae carmina quinis suis non aequa putaverit, non ternis, vel senis, vel nonis, vel denis. Quae res, modo verecundum sit de ea cum poeta litigare, id causae habere potest, quod Corinna quinque libros originum Boeoticarum et fabularum heroicarum composuisse fertur. Diceret igitur Cynthia quinque libros Corinnae ne tantum quidem valere, quantum totidem ipsius carmina. Sed haec hactenus.

Restat, ut, unde Groningani codicis perversissimam lectionem ortam esse putemus, paucissimis verbis doceamus. Invenit, ni fallor, codicis Gron. librarius in eo exemplari, quod transscripsit, vocabulum lyricis, quod aut interpretandi gratia in margine adnotatum, aut ab aliquo quodam, qui quinis vel quiuis non intellegeret, in textu positum fuit. Sed cum ne id quidem, quid sibi vellet, perspiceret vir optimus, boni librarii officium praestaturus litterarum speciem ita depinxit, ut oculis suis se praebebat. Hinc prodigiosum illud lyrnes prodiit, minime vero ex Erinnes nomine, cuius praeter Plinium et Hieronymum, si credimus Forcellinio, scriptor latinus mentionem fecit nullus.

II, 9, 13.

Foedavitque comas et tanti corpus Achilli
Maximaque in parva sustulit ossa manu.

Optimo iure Luc. Müller verbis et tanti corpus Achilli crucem praeposuit, cum id, quod est tanti et per se langueat et cum sequente maxima ossa

intolerabilem pleonasmum efficiat. Idem in praefatione ad Propertium p. XXVI. coniectat fortasse scriptum fuisse: ad functi corpus Achivi, quod cum alias ob causas improbamus, tum maxime eo, quod participium functus nude positum pro mortuo apud Statium aliosque posteriores quidem satis frequens, Augusteae autem aetatis scriptoribus non usitatum est. Accuratius sententiarum nexum intuenti mihi aliud se obtulit vocabulum huic loco multo magis accommodatum. Antecedenti enim disticho poeta Briseidem cruentum corpus Achillis lavisse, versu autem 14. maxima eius ossa parvis manibus sustulisse narrat. Quaeritur, quo tempore Briseis ossa Achillis sustulerit. Aut enim de legendis post cremationem ossibus cogitari licet, aut de corpore a flumine in tentorium reportando. Sed quominus de legendis combusti corporis ossibus sermonem esse putemus, non solum eo deterremur, quod ossibus epitheton maxima adiectum est, sed etiam eo, quod manu parva maximis ossibus opposita non nisi de gravi onere sublevando cogitari potest. Ossium enim fragmenta, qualia post cremationem relinquebantur, neque maxima videri, neque grave onus haberi potuerunt. Briseidem igitur eum in finem ossa Achillis sustulisse putamus, ut ea, i. e. corpus, post lavationem a flumine referret. Eodem modo versum 14. et ab Hertzbergo et a Iacobo in interpretationibus germanicis intellectum video. Quamobrem tanti e lauti corruptum esse pro certo habeo totumque versum 13. sic rescribo:

Foedavitque comas et lauti corpus Achillei.

III, 18, 5.

Quid mea si canis aetas canesceret annis.

Sic legitur versus in codd. N. et D. eodemque modo in archetypo fuisse putandus est. Quod contra cod. G. verborum ordine turbato ipsisque verbis non leviter immutatis versum ita exhibet:

Quid si iam canis aetas mea candeat annis.

Talis receptus est a Lachmanno et ab Hertzbergo. Lucianus autem Müller verborum ordine, ut est in N., servato pro canesceret cum Heinsio candesceret reponit atque, ut in vicinis verbis canis et candesceret nihil esse offensionis doceat, ad Catull. 64, 13. 14. et Tibull. I, 10, 43. ut similes locos provocat. Sed ille locus de vitio suspectus et a Baehrensio assentiente H. Magno longe aliter constitutus est, in hoc autem capitis canis crinibus candescentis mentio fit. Atque capiti quidem cano candescendi verbum maxime est conveniens: quomodo autem aetatem canis annis candescentem tibi fingas, tu vide. Duplex enim in eo genere dicendi τρόπος inesset, cum aetas pro ipso homine, cani autem anni pro talibus comis accipiendi essent. Nimia profecto audacia et ne poetae quidem concessa! Mihi vero id, quod est in codicibus, canesceret non e candesceret, sed e vanesceret corruptum, vitium autem inde ortum videtur, quod vox canis modo scripta adhuc in mente scribentis haerebat. Versus sic rescriptus hoc fere significat: Quid? si aetas (vita) mea

capite iam annis canente evanesceret i. e. fugeret et iam morti appropinquaret. Annis canis enim est ablativus consequentiae. Vanescendi autem verbum hoc loco etiam eo commendatur, quod mox Tithoni mentio fit, quem paullatim ita senectute exaruisse mythographi tradunt, ut propemodum evanuerit cf. Hor. carm. II, 16, 30.

III, 19, 21. 22.

Quem ad modum hoc distichon cum antecedenti cohaereat, omnes adhuc, quod sciam, interpretes explicandi opera supersederunt. Quod si ea de causa fecerunt, quod omnia plana essent et ad intellegendum facilia, mihi sane fatendum est me semper particula ut offendi neque videre, quomodo ea apte explicanda sit. Aut enim infelici quadam caecitate laboro, qua verum videre prohibeor, aut vox illa alio sensu accipi non potest, nisi finali. Quantae autem tum difficultates oriantur, demonstrare mihi liceat.

Ecquis enim est, qui poetam dixisse putet se venationi operam daturum, non tamen eo consilio, ut ingentes leones temptare audeat? Nonne illud ausim ingens quantum otiatur? Sed fac poetam elegantiae leges laesisse: usum certe dicendi latinum neglexisse non putandus est. Nusquam enim a scriptoribus latinis ea forma, quae est ausim, aliter usurpata est, quam aut sensu potentiali, aut in eis interrogationibus, quae sunt indignantium. Ne unum quidem locum inter plurimos, quos Neue in libro suo, qui est de formis linguae latinae grammaticis, collegit, investigare mihi contigit, quo illud ausim finalem sensum haberet. Qua de causa mihi quidem constat in versu 21. vitium latere. Videtur autem non tam ausim, quam ut corruptum esse, idque ex aut. Lege igitur:

Non tamen aut vastos ausim temptare leones
Aut celer agrestes comminus ire sues.

III, 20. 23. 24.

Hoc loco non novam lectionem proponemus, sed scripturam codicis Neapolitani, quem sequuntur Hamburgensis et Helmstadiensis, ad hunc diem neque a librariis reliquorum codicum neque ab editoribus perspectam defendemus.

In cod. N. (itemque in Hb. et Helmst.) bis extat non unquam. Quae verba, cum iustum sensum praebere non viderentur, in reliquis codd., quos temere secuti sunt omnes editores, corrupta sunt in non nunquam. Sed inest sensus optimus Neapolitani lectioni, modo ne versibus 23. 24. totam sententiam inclusam putes, neve in fine versus 24. punctum ponas. Quod cum fecissent et librarii et editores, sane intellegere non potuerunt verba non unquam. Error inde ortus est, quod vocabula mollis et facta praedicata videbantur esse. Sed cum copula est nusquam inveniatur, nihil obstat, quin illud ianuae, hoc copiae lecti attributum esse putemus. Iam non puncto post versum 24., sed commate posito artissime hi versus coniunguntur cum sequente ac de tribus subiectis

ianua mollis, facta copia lecti, nox ulla praedicatur unum illud empta est. En aspice, ut nunc se habeant versus:

Interea nobis non unquam ianua mollis,
Non unquam lecti copia facta tui,
Nec mihi muneribus nox ullast empta beatis.

Sententia igitur horum versuum haec est. Interea (i. e. per hos septem menses, de quibus dicitur v. 21.) a me non unquam ianua mollis i. e. facilis adeundi potestas (cf. Tibull. II, 4, 19. faciles aditus), neque unquam copia lecti, quam mihi fecisti, neque ulla nox beatis muneribus empta est. Quam bene nunc sibi respondeant duplex non unquam et non ulla, nemo est, quin videat, neque fore quemquam existimo, cui magis placeat languidissimum illud: „non nunquam mihi ianua mollis facta est, non nunquam mihi lecti tui copia facta est?"

III, 24, 17—52.

A versu 17. novum carmen incipere cum iam a prioribus interpretibus cognitum sit, nemo hodie est, qui de ea re dubitet. Nec vero item perspectum est nonnulla disticha huius carminis falsos locos tenere. Quamquam vix fallere potuit interpretes interpositis versibus 35—38. artissimum conexum, qui inter disticha utrimque posita intercedit, vehementissime rumpi. Sed non hoc solum manifestum est versus istos ad hunc locum non pertinere, sed illud etiam, quo referendi sint. Ipsi enim argumento suo et verbis locum sibi vindicant in fine totius carminis. Quo si eos revocaveris, non multum interest, utrum futura compones et dices e manu Propertii provenisse, an mutato loco coniunctivos etiam praesentis componas et dicas in futuri formas abiisse censeas. Causa, cur librarius nescioquis hos versus post v. 34. inseruerit, in promptu est. Niger enim ille dies, cuius mentio fit v. 34., satis erat homini indocto, ut statim, quae de exequiis dicuntur, adiungenda esse indicaret. Verum tamen qui elegantiae poeticae aliquod arbitrium habet, is non dubitabit hos versus ei, quem supra indicavimus, loco reddere. Sed non satis est haec duo disticha transposuisse, aliud quoque distichon est, quod novum locum requirit. Communis enim ille locus, qui versibus 47. 48. continetur, immane quantum discrepat et ab eis, quae praecedunt, et ab eis, quae sequuntur. Quod quidem iam priores editores, Burmannum dico et eius asseclas, senserunt, nec tamen recte fecerunt, cum distichon nostrum post v. 32. ponerent a versu 33. minime secernendum. Multo profecto melius sententia illa, quae est de duritie puellae amorem simulantis et compluribus sui copiam facientis, priores sex versus huius carminis sequatur, quibus poeta Cynthiae levitatem et inconstantiam crimini dat. Haec de translocandis versibus. Lacunam, quam Luc. Müller ante versum 23. hiare statuit, non agnosco, cum e contextu satis appareat, quis ille sit, in quem versus 23—32. cadant.

Versus 44. et 45. minime cum Heimreichio eiciendos esse puto. His enim eiectis unum tantum exemplum superesset, quo poeta sententiam versibus 41. 42. inclusam probaret. Moris autem Propertii est aut duo aut, quod saepius fit, tria exempla coniungere. Sed quamvis versus istos Propertio servatos velim, tamen hautquaquam nego versum 45., sicut legitur, corruptissimum esse. Quae ad sananda verba a Lachmanno et Kochio prolata sunt, nec placent nec sufficiunt, neque mihi diu meditato invenire contigit, quod sensui item et litteris satisfaceret. Igitur exspectandum est, dum felicior aliquis existat, a quo hic versus in integrum restituatur.

III, 28, 53.

Nomen Troiae ab hoc versu alienum esse nemo infitias ibit, qui in versu sequente diruta regna Priami senis nihil aliud significare posse, quam illam ipsam urbem, concesserit. Nam quod Luc. Müller pag. XXXI. praef. ad Prop. locum IV, 1, 31. 32. ut similem laudat, non video, quo id iure fecerit. Ibi enim Propertius nullo intervallo Ilion et Troiam una ponit, quod si non laudandum, at ferendum est: hic vero primum Troiam, deinde Achaiam, tum Thebas, denique iterum Troiam dixerit? Quod mihi quidem nunquam persuadebitur. Itaque, ut plerique priores interpretes, ego quoque illud Troia corruptum et alio nomine mutandum esse censeo. Nimirum inter eas coniecturas, quae hucusque ad hunc locum emendandum factae sunt, ut puta Iona, Phthia, Eoa, nulla est, in qua acquiescas. Alia autem ipso verborum ordine commendatur. Postquam enim poeta in enumerandis eis mulieribus, quae sub orco morantur, Europes et Pasiphaes nomina attulit, nihil nobis similius veri videtur, quam commonefactum eum sedis earum mox ipsam Cretam insulam nominavisse. Quod cum faceret, nequaquam *ταυτολογίαν* admisit: neque enim Europe, nec Pasiphae in eo numero est, quas Creta tulit, cum altera Phoeniciam, altera Colchidem patriam profiteatur. Imo si post illas mulierum in ipsa Creta ortarum mentionem facit, inprimis de Ariadne et Phaedra cogitari vult. Epitheton autem vetus Cretae aptissime adiectum est, cum antiquissimae istae fabulae, quae sunt de Iovis incunabulis, de Iove et Europe, de Minoe, Daedalo, labyrintho, Minotauro, de Theseo, Ariadna, Phaedra, aliis, ad illam insulam respiciant neque veri dissimile sit prius eo, quam vel in ipsam Graeciam orientalium nationum litteras et artes perlatas esse.

III, 29, 23—42.

Non satis mirari possum, quod nemo adhuc sensit hos versus nullo pacto cum antecedentibus unum atque idem carmen efficere. Argumentum enim priorum viginti duorum versuum tam diversum est ab eis, quae reliquis viginti versibus continentur, ut duo carmina constituenda esse manifestum sit. Nam cum in illo

poeta lepidissime describat, quomodo potus Cynthiae iussu ab Amoribus domum*) reductus sit: in hoc narrat, quid sibi, cum mane Cynthiam visum ivisset, evenerit. Neque vero haec argumentorum diversitas sola causa est, cur duas partes secernendas putemus: ne illud quidem neglegendum est poetam initio prioris carminis blandis verbis mea lux amicam appellare, in altero vero de Cynthia ut absente loqui et eam ipsam loquentem inducere. Quis, quaeso, credat Propertium in uno carmine dicendi genus tam violenter mutasse et tanquam oblitum, quod primo Cynthiam allocutus sit, mox exposuisse, quae illi non minus nota essent, quam sibi ipsi? Accedit, quod versus primus ultimo, si unius carminis esse existimantur, vehementer repugnat. Unde factum est, ut plerique vocem primi versus hesterna in extrema mutandam censerent, Hetzelius autem (progr. Dillenburg. 1876.) totum ultimum distichon spurium esse suspicaretur. Utrumque non necessarium erit, si, ut fas est, duas partes diversissimas seiunxeris. Iam quoniam demonstrasse nobis videmur versus XX posteriores sui iuris esse, hoc ipsum carmen mendis nonnullis, quas per temporum decursum traxit, purgabimus. Ac primum quidem id distichon, quod nunc est tertium (v. 27. 28.):

Ibat et hinc castae narratum somnia Vestae,
Neu sibi neve mihi quae nocitura forent,

cum huc non faciat et sententiarum nexum vehementissime rumpat, loco movendum est: quod quo revocandum sit, infra docebitur. Quodsi eiecto hoc disticho versum 28. post 26. posueris, aptissimum sensum habebis, modo v. 26. pro cum, quod in libris legitur, cum editione Regiensi tum restitueris. Sic igitur Propertium scripsisse puto:

Obstupui: non illa mihi formosior unquam
Visa; neque ostrina tum fuit in tunica:
Talis visa mihi somno dimissa recenti.
En quantum per se candida forma valet.

Quorum versuum sententia, ne quid obscuri relinquam, haec est: „Nunquam mihi Cynthia formosior visa est, quam illo mane; nec tamen illa tum purpurea tunica amicta fuit, sed talis i. e. tam formosa mihi visa est, quum recens somno dimissa esset“. Venio ad versum 38., in quo spiritus notus adulterio admisso quid sibi velit, non intellego. Non enim persuadere mihi possum Propertium dixisse: „Adspice, ut in toto corpore mihi nullus spiritus surgat, qualem post adulterium commissum surgere omnibus notum est.“ Itaque cum Marcilio rescribo motus. Iam vero tempus est, ut ei, quod supra eiecimus, disticho novum locum inveniamus. Qui quidem bis senis versibus intermissis post v. 40. patet. Postquam enim Cynthia non sine additis vituperationibus Propertio se

*) Mandata domus v. 20. Cynthiae non potest esse, cum ex ea Amores paullo ante ad investigandum Propertium profecti esse putandi sint, sed una Propertii, id quod etiam verbis versus 22: „disce manere domi“ cognoscitur.

purgavit, oscula dextra opposita prohibens pedibus in laxa solea nixis prosiluit, „ibat et hinc castae narratum somnia Vestae". Sic demum collocato disticho illo perspicuum fit, cur Cynthia oscula Propertii prohibuerit, ea scilicet de causa, ut pura et intacta a viro castam Vestam adire posset, itemque nunc demum intellegitur, cur poeta amicam somnia Vestae narraturam finxerit. Nam si moris erat puellarum, ut Vestae, quae per somnum vidissent, narrarent et, ne somnia sibi familiaribusque nocerent, deprecarentur: quod tempus aptius esse potuit, quo id facerent, quam hora matutina? Vides igitur eam, quam fecimus, transpositionem causis sat gravibus minimeque spernendis commendari. Adde, quod nunc sequenti etiam disticho clarior lux aspergitur. Sive enim codicum deteriorum *custos recludor*, sive Lachmanni *custode recludor*, seu denique Luc. Mülleri *custodi excludor* probas, exclusum esse Propertium constare videtur. Neque nunc id mirum: nam si Cynthia domum relinquere parata erat, Propertio causa ibi remanendi nulla suppetebat.

III, 30.

In ea versuum farragine, quae in libris et editionibus carminis XXX. libri III. vice fungitur, re vera habes, quae dicuntur, disiecti membra poetae. Tam enim non inter se cohaerent singulae partes, ut quinquies vel sexies interruptam esse sententiam in aperto sit. Quo enim vinculo priores duodecim versus cum sex sequentibus coniuncti sint, quid versus 19—22. suo loco sibi velint, quid versus 37. cum antecedenti commune habeat, dicere equidem non ausim. Sed tamen non ita desperata res est, ut primo obtutu videtur, dummodo ne unius carminis lacinias, sed duorum hic consarcinatas esse putemus. Quorum priori addicendi sunt ei duodecim versus, qui sunt ab initio, itemque v. 19—22. Quamquam, ubi hi collocati fuerint, mihi non constat; verisimile enim est huius carminis aliquot versus interiisse. Alterum autem carmen ex eis, qui relinquuntur, versibus nunc quoque in integrum restitui posse confido. Ne longi simus in explicandis rationibus, quibus ducti singula disticha disposuerimus, ipsum carmen a nobis restitutum proponimus, unde optime perspiciatur, num quid veri invenerimus, an in re vili operam et oleum perdiderimus.

23. Una contentum pudeat me vivere amica?
    Hoc si crimen erit, crimen Amoris erit:
25. Mi nemo obiciat. libeat tibi, Cynthia, mecum
    Roscida muscosis antra tenere iugis.
Illic aspicies scopulis haerere sorores,
    Et canere antiqui dulcia furta Iovis,
Ut Semelast combustus, ut est deperditus Io,
30. Denique ut ad Troiae tecta volarit avis.
33. Nec tu virginibus reverentia moveris ora:
    Hic quoque non nescit, quid sit amare, chorus,

35. Si tamen Oeagri quaedam compressa figura
Bistoniis olim rupibus accubuit.
31. Quodsi nemo extat, qui vicerit alitis arma,
Communis culpae cur reus unus agor?
13. Ista senes licet accusent convivia duri:
Nos modo propositum, vita, teramus iter.
15. Illorum antiquis onerentur legibus aures:
Hic locus est, in quo tibia docta, sones,
Quae non iure vado Maeandri iacta natasti,
Turpia cum faceret Palladis ora tumor.
37. Hic ubi me prima statuent in parte choreae,
Et medius docta cuspide Bacchus eris,
Tum capiti sacros patiar pendere corymbos:
40. Nam sine te nostrum non valet ingenium.

Cum versum primum carminis sic restituti in interpretationibus Hertzbergi et Iacobi falso intellectum videam, paucis demonstrabo, quemadmodum ipse verba intellegenda existimem. Illi verba *una contentum amica* ita interpretati sunt, quasi *uni amicae* multae opponerentur: quod quidem poetam non cogitasse ex toto sententiarum nexu apparet. Non enim ea de re se excusat, quod repudiatis multis puellis una contentus sit, sed in universum hac de causa, quod totus amori deditus sit. Sequitur igitur *una amica* idem valere, quod *sola amica*. (Ich sollte mich schaemen, dasz ich mich *einzig auf meine geliebte beschränke*?). — Versu a fine tertio pro eo, quod in libris est, *erit* scripsi *eris*, unde efficitur, ut versus ultimus ad Bacchum, non ad amicam spectet. Etenim qui hunc versum ad amicam pertinere putant, quomodo vocem *nam* initio versus positam explicaturi sint, ipsi dicant.

III, 32, 23.

Cod. N. exhibet: Nuper enim de te *nostra me laedit ad aures*, reliqui omnes: *nostras me laedit*, praeter unum cod. G., in quo legitur: *nostras pervenit* ad aures.

E magna inter Neapolitanum et Groninganum discrepantia colligi potest aut in archetypo litteras non satis manifestas extitisse librariumque Groningani contemptis litterarum reliquiis suo arbitrio id verbum, quod cum contextu maxime convenire videretur, videlicet *pervenit*, posuisse, aut iam in archetypo, ut in reliquis omnibus libris, scriptum fuisse *me laedit*, quo reiecto librarius codicis G. suum inventum textui inseruerit. Utut res se habet, fides sane scripturae Groningani habenda est nulla, quantumvis Lachmannus eam hoc l. fortasse probandam esse dicat et Nic. Heinsii et Huschkii coniecturae (*pervadit*, *praece-*

dit) ad Groningani litteras respiciant.*) Nimirum illo tempore cod. G. etiamtum ea auctoritate utebatur, qua eum postea Hauptius maximeque Heimreichius et Grummius exuerunt. Sed ne Hertzbergus quidem, quamvis hic quoque codicem G. in summo honore habeat, h. l. eius rationem habendam esse censet, sed probata Neapolitani lectione verba, ut extant in eo, exemplis non ita feliciter collectis defendere studet. Iure autem Hauptius et Luc. Müller, quippe idem sentientes cum Lachmanno, qui dubitat, num latine dici possit me laedit ad aures, haec verba ea cruce signaverunt, quae, quam suspecta sint, diserte doceat. Quod superest, Luc. Müller in praef. ad Prop., ut loco nostro medeatur, fortasse vocem delatus reponendam esse censet. Quae medela ne nobis quidem inepta videtur neque iniucunda, sed tamen litterae vocabuli commendati nimis discrepant ab eis, quae sunt in codice. Itaque videamus, aliane ratio emendandi eaque veri similior se praebeat. Cum verba ad aures intacta videantur, verbum movendi interiisse consentaneum est. Nec vero illud solum, sed simul aliud, quo genus rumoris accuratius definiretur. Quod quidem non obscure indicatur pentametri verbis: „et in tota non bonus urbe fuit", quae vocem quandam sibi oppositam quasi efflagitant. Atque nostra quidem sententia interiit malus, cuius vestigia in prioribus litteris codicis N. adhuc recognoscas. Sed alterius etiam vocis, cui restituendae trochaei spatium relinquitur, vestigia quaedam supersunt in tribus extremis litteris vocis laedit. Suspicamur enim nihil aliud a Propertio scriptum fuisse, quam ivit. Litteram u librarius mutilatam putavit ex d, id quod eum impulit ad constituendam formam laedit. (Alias enim sane concinnius et cum fuit concordantius scripsisset laesit). Probabilior etiam fit coniectura nostra, si vocem malus per compendium scriptam fuisse conicere licet: malgivit.

Restat, ut in voce nostra codicem N. deteriorem scripturam, quam reliquos, qui habent nostras, praebere dicamus, quamvis vox nostra ablativo casu cum te coniuncta nequaquam omni sensu careat. Sed hac probata desideratur ipsum illud nostras, quo, cuius ad aures iverit rumor malus, indicatur. Totum igitur distichon recepta coniectura nostra sic se habebit:

Nuper enim de te nostras malus ivit ad aures
Rumor et in tota non bonus urbe fuit.

(Rumor malus Prop. I, 13, 13; rumor it Ov. met. VI, 147; fama it Verg. Aen. IV, 173; it strepitus ibid. I, 725; it clamor multifariam ap. Vergil.; Ovid. met. XII, 426: „dictis, quae clamor ad aures Arcuit ire meas.")

---

*) Pictoris, qualis fingitur initlo artis poët. Horatianae, exemplum secutus videtur Iacobus, cum capite a Neapolitano, pede a Groningano petito proponat: nostras, mala, venit. (me la|edit / per|venit). Keilii coniectura insederat nihil habet probabilitatis.

III, 33, 11. 12.

A quotiens quernis laesisti frondibus ora,
Mansisti stabulis abdita pasta tuis!

Totum huius carminis locnm, qui a versu septimo ad duodecimum usque pertinet, falso intellectum esse a Lachmanno in editione Lipsiensi (1816.), inter omnes Propertii existimatores hodie constare mihi videtur, cum nemo recentiorum viri doctissimi coniecturam, qua post mansisti particula ut inserenda esset, amplexus sit. Quamobrem non est, cur ipsam Lachmanni sententiam hic repetamus. Recte, si integra sunt pentametri verba, Hertzbergus ea explicavit. Docet enim poetam hoc loco figura amplificationis usum, postquam semibovem deam duri pabuli admonuerit, nunc post pastum stabulorum solitudinem tristem addere. Sed manifestum est Propertium toto hoc loco talia afferre, qualia Io, cum in vaccae figuram mutata esset, pati cogebatur: quod quidem ex tribus antecedentibus versibus clarissime apparet. Solitudo autem adeo non propria vaccae est, ut Io etiam servata puellae figura ei tradi potuisset, si Iunoni placuisset. Quid vero, quod ipsa illa solitudo stabuli miserae mutatae gratissima esse debebat, cum stabuli tenebris ignominia eius quodammodo occultaretur? Itaque non solum languet illud mansisti, sed etiam plane absurdum est. Suspicamur autem vocabulum illud a librario quodam satis indocto positum esse pro mandisti, quod, cum non omnes paginas premat, ei ignotum erat. Hoc autem verbum si Propertio restituimus, quam bene tum pentametri sententia cum hexametro conveniat, in promptu est. Nam cum priore versu Propertius dicat Ion saepissime decerpendis frondibus quernis ora laesisse, addit in pentametro pastam eam et stabulis abditam pabulum mandisse i. e. ruminasse*). Quod vero si cui minus poetice vel nimis rustice dictum videatur, is sibi in mentem revocet carmen poetae nostri III, 28., ubi v. 17. de eadem Io dicitur: primos mugiverat annos. Mandendi autem verbum non raro sine casu poni multis exemplis comprobatur (quae vid. ap. Forc.) Quod superest, cum Hertzbergo indicamus voces illas, quae sunt a quotiens, ad utrumque versum referendas esse.

---

*) Aliam etiam interpretationem pentameter a nobis restitutus admittit, quae diutius consideranti mihi iam magis magisque arridet. Ἀσυνδέτως enim positis participiis **abdita pasta**, si utrumque casu nominativo generis feminini interpretemur, parum elegantiae iuesse pauci non sentient. Participium autem pastus non ubique activam, sed interdum etiam passivam significationem habet, cf. Ov. amor. III, 5, 18: atque iterum pasto pascitur ante cibo. Verg. ecl. I, 54: saepes florem depasta salicti. id. Aen. V, 93: depasta altaria. Ov. halicut. 119: epastas escas. Quo quidem sensu si pasta boc quoque loco praeditum putemus, aptissime illud obiciatur verbo mandisti oriaturque haec sententia: „quotiens stabulis abdita cibum ante comesum mandisti!“

IV, 9, 36:

Non ego velifera tumidum mare findo carina:
Tuta sub exiguo flumine nostra morast.

Duabus de causis Heimreichius longiorem versum spurium esse censet, et quod totus versus in N. omittatur, et quod findo trochaice positum sit. Mihi neutra causa tanta videtur, ut versum Propertio abiudicem. Maiores autem difficultates insunt versui pentametro. In hoc enim scriptura codicis G. magnopere discrepat a N. ceterisque libris. Nam cum in his omnibus scriptum sit tota — mora, in illo legitur tuta — ratis. Ex consensu librorum satis liquet etiam in archetypo scriptum fuisse tota — mora; Groningani autem librarius, utpote cui mora veliferae carinae non satis respondere videretur, suo arbitrio reposuit ratis, quo facto etiam tota in tuta mutare cogebatur. Mira inaequalitate editores in aestimanda codicis G. scriptura usi sunt. Reicientes enim omnes id, quod est ratis, eidem omnes tuta retinuerunt. Sed ne hoc quidem tenendum esse apparebit, si gravissimum errorem omnibus libris communem correxerimus. Quid enim significant verba sub exiguo flumine? Madvigius in advers. crit. II, 64. se ea intellegere negat neque latine ita dici potuisse credit. Cui sententiae cum omni ex parte assentiar, tamen quod ille pro flumine potius flamine scribendum esse statuit, probare non possum. Neque enim tumido mari apte opponitur exiguum flamen, cum etiam in ipso mari interdum lenes venti flent, neque navigandi actus contrarius est morando, si tamen morari idem valere vult vir doctissimus, quod navigare seu remigare. Num autem necesse est etiam versum 36. ad navigationem spectare? Nonne periculosae in mari navigationi eodem aut meliore iure commoratio in terra opponitur, quam navigatio minus periculosa sub exigui venti flamine? Quamobrem nec flumine, nec flamine Propertium scripsisse puto, sed culmine; cf. Verg. ecl. I, 68: Pauperis et tuguri congestum caespite culmen. Iam etiam intellegitur, cur tota servandum sit. Poeta enim se omnino non navi mare percurrere, sed totam vitam suam sub exiguo tecto degere profitetur.

IV, 20, 5.

At tu, stulta, deos, tu fingis inania verba.

Priores elegiae libri quarti vicesimae decem versus num recte Scaliger et qui eum secuti sunt plurimi et doctissimi viri (quo in numero Lachmannus, Hauptius, L. Müller sunt) a reliquis viginti versibus seiunxerint et integrum rotundumque carmen eos efficere putaverint, dubium sane me reddidit Hertzbergus, qui gravissimis causis eisque, ut mihi quidem videtur, minime spernendis totos istos triginta versus, quos codices in unum carmen coniunctos exhibent, nullo modo dirimendos et eodem, quo traditi sunt, ordine servandos esse demonstrat. Sed de hac re, si deo placebit alio loco disputabimus, hoc loco in examen vocaturi

sumus versum quintum. Verba eius in libris manu scriptis ita leguntur, ut supra in fronte posuimus. Quae cum difficillima sint ad intellegendum, diversissimas interpretationes a viris doctis experta sunt, quarum haut scio an nulla loco nostro ita accommodata sit, ut laudem nostram et approbationem mereatur. Omissis Broukhusii, Kuinoelii, Iacobi interpretamentis, quae cognoscere est apud Hertzbergum, videamus, quomodo Lachmannus et Hertzbergus hunc versum interpretati sint. Atque Lachmannus quidem ita explicat verba: „Tu deos falso testes advocas et falsis promissis me decipis.“ Quam sententiam cum ipse auctor ita non probaverit, ut statim aliter versui subveniendum esse statuerit, non est, cur refutemus. Statuit autem continuo pro verba reponendum esse vera totumque versum per interrogationem dictum. Verba sic mutata interpretatur: „Tune fingis tibi veros deos esse, quos ille amoris testes fecerit? tune illa inania promissa vera esse tibi persuades?“ Sed nudum illud deos id significare posse, quod Lachmannus inde eruit, mihi quidem nemo persuadeat. Nihilo minus Lachmanni coniectura in textum recepta est a M. Hauptio et L. Müllero deleto tamen interrogandi signo.

Venimus ad Hertzbergum, qui, quamvis ingeniosam vocet Lachmanni coniecturam, tamen eam ut non necessariam repudians codicum scripturam defendere studet. Hanc autem intemeratis verbis sententiam subesse vult: „Tu deos veros esse et quales deos esse decet (periurii vindices) falso tibi persuades, tu verbis inanibus in solatium tui compositis, ne perfidum credere amatorem sustineas, sciens te fallis.“ De hac autem interpretatione idem valet, quod supra de Lachmanniana diximus, nempe vocabulo deos sensum supponi, quem ne precario quidem inde elicias. Probabiliora videntur ea, quae de inanibus verbis fingendis protulit.

Ex his omnibus, quae hucusque attulimus, apparet verbum, quod est deos, invictarum difficultatum fontem esse: neque illud nobis ullo modo videtur sufficienter explicari posse. Sed si diligentius attendimus, deorum commemoratio omnino a nostro loco aliena videtur esse. Nihil enim Propertius Cynthiae obicit, nisi credulitatem et nimiam fiduciam, quam amatoris promissis habeat. Qua de causa illud deos errore librarii in textum repsisse arbitramur et pro stulta deos rescribentes **stulta adeo's** totius hexametri hanc speciem fuisse putamus:

At tu, stulta adeo's? tu fingis inania verba?

Sic scriptum fuisse magis etiam tibi persuadebis, si mecum, quid consilii in componendis sex primis versibus poeta secutus sit, consideraveris.

Cynthia, quae cum rivali Propertii rem habuerat, ab eo deserta est. Ille discedens dixit sibi in provinciam (Africam) abeundum esse pecuniae parandae causa; si paravisset, rediturum. Quod verum esse Cynthia confisa sperat fore, ut ille ad se revertatur. Hanc spem ut vanam esse ostenderet, vide, quanta arta Propertius usus sit. Ac primo quidem disticho nihil demonstraturus est, nisi hoc: id ipsum, quod ille Cynthiam relinquere potuerit, satis luculentum docu-

mentum esse eum non vero Cynthiae amore inflammatum fuisse. Nam qui fieri posse, ut is, quem tanta forma, tanta gratia non tenuerit, eius memor sit et fidem servet? Deinde altero disticho ostendit summae duritiae esse testimonium, si quis lucro puellam mutare possit (i. e. lucri studium pluris faciat, quam amicam): omnes enim Africae divitias non tanti esse, ut puella amata lacrimas ob istas fundat. Iam vero disticho tertio tempus venisse censet falsas istas imagines expellendi. Ita enim Cynthiam alloquitur: „At tu, num adeo stulta es, ut inania verba fingas, i. e. ut vana spe te ipsa fallas? Nonne sentis te decipi ab illo? Nunquamne tibi in mentem venit ea cogitatio ideo illum te deseruisse, quod pectus eius novo amore occupatum sit? (Vox forsitan non sine aliqua irrisione et cavillatione dicta est, velut si germanice dicas: wie denn? wenn nun jener vielleicht sein herz an eine neue geliebte gehängt haben sollte? Id enim genus dicendi, quo res, quae certo certior est, dubitanter profertur, mirum quantum habet irrisionis et stimulationis.) Sed quasi sentiat poeta se longius progressum esse, illa quaestione omissa transit ad laudem Cynthiae eiusque forma, artibus, clara origine, fortunis in astra sublatis nihil miseratur, nisi quod fidus amicus ei desit. Postremo se ipsum fidum profitendo Cynthiam invitat, ut in suum amplexum recurrat.

V, 2, 34.

Faunus plumoso sum deus aucupio.

Quantum praestet ceteris codicibus liber Neapolitanus, ex hoc loco cognoscere possunt, qui sanum oculorum usum nondum dedidicerunt. Sed priusquam ad rem ipsam veniamus, videamus, quid verba ista, quae in omnibus editionibus leguntur, significent. Postquam v. 33. Vertumnus se cassibus impositis venari i. e. venatoris speciem habere dixit, nunc addit se harundine sumpta Faunum deum plumoso aucupio esse. Audacissimum profecto dicendi genus! Namque aliud est dicere: „speciem furabor Iacchi, furabor Phoebi“ (v. 31. 32.), aliud: „ipse ego Vertumnus Faunus plumoso sum deus aucupio.“ Deinde verborum plumoso aucupio, cum vix aliud quid esse possint, quam ablativus qualitatis, durissima est structura, praesertim cum nihil poetam impediret, quominus consueto more genetivum poneret. Cf. Ovid. met. XI, 160: isque deum pecoris (Pana) spectans. Sed ut planissima omnia sint et verba ista aptissimum sensum praebeant, tamen codicis N. lectio nullo pacto erat neglegenda. Nam cum illud Faunus in Groningano aliisque deterioribus libris legatur, in Neapolitano scriptum est fauor. Utramque scripturam conflavit Hamburgensis codicis librarius. Invenit enim in exemplari suo fauor, cuius extremae syllabae superscriptum fuit nus vel potius per compendium n9 in hanc speciem fau^{n9}or, unde prodigiosum vocabulum fauonor finxit. Vide, quae diximus ad V, 11, 24. Quamquam ipsa Neapolitani scriptura non est incolumis, sed tamen non nisi unius litterulae

detrimentum fecit. Excidit enim, quod manu prehendere possis, littera t, qua suo loco reddita fit fautor. Profitetur igitur Vertumnus, si harundinem sumpserit, se deum fautorem sive patronum aucupum: id quod sine dubio ad textum magis conveniat, quam Fauni persona. In dativo autem casu (plumoso aucupio) etsi nihil est, quod offendas, tamen, si dubitas, confer, quaeso, Cic. pro Planc. I, 1: „Cum .... tam multos et bonos viros eius honori viderem esse fautores", itemque Lucilii verba: „favitorem me tibi, amicum, amatorem putes."

V, 3, 33. 34.

Verba huius distichi in libris tradita sunt hunc in modum:

Noctibus hibernis castrensia pensa laboro
Et Tyria in gladios vellera secta suos.

Quae cum intellegi non possent, iam a prioribus Propertii interpretibus pro eo, quod est gladios, e coniectura Italorum in textum receptum est radios. Haec coniectura ita arrisit editoribus, ut hodie etiam in omnibus editionibus obvia sit. Minus fausta fortuna Broukhusii, qui etiam secta in ducta mutandum esse putavit, coniectura usa est, cum inde a Lachmanno editionibus pulsa sit. Pentametrum sic immutatum viri docti de carminanda lana interpretantur. Quid sit carminare lanam, si scire gestis, evolve, quaeso, Lachmanni maximeque Hertzbergi commentarios ad hunc locum. Nos longe aliter Propertii verbis subventuri neutri illorum invidemus lanificii et textrinae scientiam, quam etiam a poeta nostro satis alienam fuisse mox concedes. Quid enim hoc loco nuda lanificii sive textrinae commemoratio sibi vult, cum versu longiore Arethusa dicat se castrensia pensa laborare? Nonne illa castrensia pensa poscunt atque adeo flagitant, ut sibi in pentametro simile quid respondeat? Nonne ea sententia sicca quasi harena bibitur, quae, cum ordiatur a labore in operibus ad vitam castrensem pertinentibus (cf. v. 18.) occupato, pergat in descriptione artificiosi lanificii ad castra nihil respicientis? Quae cogitatio, ut vix neglegi potuit a viris doctissimis, ita eos deterrere debuit a coniectura illa probanda. Hic autem locus exemplo esse potest, quemadmodum levissima, ut videbimus, corruptela viros vel doctissimos usque eo fallere queat, ut coniectando scriptori longe alium sensum supponant, atque ille in mente habuerit. Levissime autem vitiatum esse locum nostrum facile concedes, si unam litterulam pentametro perperam additam esse tibi persuaseris eamque ultimam. Ita enim scripsisse Propertium pro certo habendum est:

Et Tyria in gladios vellera secta suo.

Hoc loco paullum subsistimus eo consilio, ut unus alterve lector suo exemplo doctus cognoscat, quam facile fieri potuerit, ut homines litterarum multo rudiores, quid significarent Propertii verba, non perspexerint crassaque Minerva suos reposuerint. Cavendum enim est, ne suo a pronomine reflexivo derivetur, cum potius prima forma verbi suendi sit, quae vel optime respondeat verbo prioris versus laboro itemque ei, quod subinde sequitur, disco. Dicit igitur Arethusa

se per noctes hibernas operibus ad usum castrensem spectantibus deditam esse et „secta vellera Tyria in gladios suere.“ Secta autem vellera Tyria sunt taeniae corii purpura Tyria tincti, ex quibus uxor marito balteum sive balteos consutura erat, unde gladius penderet. (Germanice: „und ich nähe purpurne lederstreifen für die schwerter i. e. zu schwertgurten“.) Sutiles fuisse balteos cognosces ex Verg. Aen. XII, 273., e corio factos ex ipsius Propertii verbis V, 10, 22: Praebebant caesi baltea lenta boves. Praepositionis autem in usus finalis cum sit frequentissimus apud Propertium (cf. Hertzb. quaest. Propert. p. 133.) neque ab aliis poetis alienus, non est, cur uberius de ea re disseramus. Confer tamen exempli gratia Prop. IV, 9, 18. 17, 38. 20, 25. Verg. Aen. VII, 13. Ovid. met. VII, 613. XI, 28., maxime autem Propert. IV, 3, 35: Haec hederas legit in thyrsos i. e. haec legit frondes hederaceas, quibus thyrsi ornentur.

V, 5, 19. 20.

Exorabat opus verbis, ceu blanda pererrat
Saxosamque terit sedula lympha viam.

Sic legitur hoc distichon in eis editionibus, quae nunc sunt optimae, Hauptiana et Mülleriana. Verum si codices msptos inspexeris, longe alia invenies. Pro eo enim, quod est pererrat, liber N. perure, alii codd. aut peruret aut perurat aut denique periret exhibent; pro terit in omnibus fere libris ferat et pro lympha, quod uni interpolato codici Heinsiano debetur, in reliquis culpa scriptum est. Apparet igitur totam sententiam, quae verbis, ut in novissimis editionibus leguntur, continetur, mera coniectura niti. Ex eis, quae integra habenda sunt, nihil constare nobis videtur, nisi hoc de saxosa via terenda sive cavanda sermonem fuisse. Quod si verum est, negari quidem non potest terendi verbum huic loco non ineptum esse: sed tamen litterae, quae sunt terit, a tradita scriptura ferat tam diversae sunt, ut sane dubitare liceat, an poeta ita scripserit. Ac mihi quidem illud ferat ex alio verbo, quod ultro se offert, levissimo oculorum errore natum videtur idque ex forat. Quod verbum, quamvis rarius usurpatum sit scriptoribus latinis, quam compositum perforare, tamen, cum apud Plautum aeque atque apud Senecam philosophum, Celsum, Columellam occurrat, aevo Augusteo evanuisse vel potius delituisse cur credamus, causam nullam video. Aptius etiam illud tibi videbitur, si non lympham, sed aliud aliquid viam forare docuero. Meministi in codicibus pro lympha legi culpa. Non aliter in archetypo scriptum fuisse in tanto librorum consensu nemo negabit. Sequitur igitur Heinsiani librarium lympha de coniectura posuisse. Illud autem culpa, si minusculis litteris pictum fingas, miram quandam similitudinem habet cum eo, quod est talpa. Nostine, benivole lector, bestiolam, quae meatus suos per agros, prata, vias ducit, quae impedimentis nisi maximis a labore non deterretur, quae tantum efficere posse ab antiquis putabatur, ut oppidum in Thessalia a talpis

suffossum esse fabularentur*)? Nonne lenae verba, quibus puellae animos versatura et ad foedissimum meretricis quaestum pellectura est, aptius comparantur cum talpae fodientis et terram perforantis opera, quam cum aqua atque ea blande percurrenti, quae et ipsa quidem lapides cavare valet, sed tamen non nisi longo temporis spatio intermisso? Quamobrem pentametrum mecum sic rescribe:

Saxosamque forat sedula talpa viam.

Sic autem restituto breviore versu extrema verba hexametri neque ut extant in libris neque ut a recentissimis editoribus mutata sunt sustineri posse in promptu est. In his autem emendandis reiectis aliis libris Neapolitanum sequor, per cuius litteras, quae sunt perure, manifesto vox rura perlucere mihi videtur. Vix iam dubium esse potest, quin pro eis, quae relinquuntur, litteris blanda pe scribendum sit blandaque. Particula enim que, si, ut saepissime, compendio scripta fuit (q;), aliquam saltim similitudinem litterae p praebere potuit. Blanda autem rura haut scio an nemo mirabitur, qui apud Statium blanda littora et similia legerit. Blanda enim cum ea sint, quae sensibus blandiantur i. e. placeant, iucunda sint, blanda rura aut nihil aut non multum differunt a gratis, amoenis, laetis agris.

Toto igitur disticho hoc dicit poeta: Lena verbis animum puellae ita corrumpere studebat (ita verbis ad corrumpendum idoneis detestandum opus suum perficiebat), ut sedula talpa blanda rura et saxosam viam perforat. Ut enim talpa nec movetur ruris splendore nec duritie lapidosarum viarum**) impeditur, quominus cuniculos suos fodiat, ita lena integram puellam corruptura nec castitate et pulchritudine virginis commovetur nec constantia et firmitate eius deterretur, quin foedum opus suum persequatur.

V, 7, 51—70.

Huius carminis particula, quae versus intra quinquagesimum et septuagesimum primum complectitur, ut mihi interpolationis suspecta est, ita compluribus locis corrupta videtur. Ac de interpolatione quidem alio loco quaeretur, hic de singulis corruptelis agemus. Primum ea sententia, quam ad interpretandos versus 55. et 56. protulit Hertzbergus, valde displicet. Ita enim Propertium dixisse vult: „Turba omnis gemina (h. e. in duas partes divisa) sedes per fluvium sortita est et diversa aqua remigat.“ Quis vero poetam tam nude illud sedes posuisse credat, cum in turbam epitheta cumulaverit? Quamobrem leviter mutatis verbis versus 55. sic rescribo:

---

*) Varro apud Plinium VIII, 29, 43.

**) Sub viis saxosis vias silice stratas vel semitas per petram caesas intellegas cave. cum sint limites multis lapidibus sparsi. Sic saxosi montes Verg. georg. II, 111. non ei sunt, qui saxis constent, sed qui saxis intermixti sunt.

Nam geminas sedes turpem sortita per amnemst
Turbaque diversa remigat omnis aqua

neque repugno, si quis vocabulum est post turpem collocari malit. Haec igitur distichi sententia est: „Omnis turba (sc. animarum) per turpem amnem geminas sedes sortita est et diversa aqua remigat". In positura particulae que si haeres, cf., quaeso, Prop. III, 27, 9. Tibull. I, 3, 56. Hor. III, 4, 11. sat. I, 4, 115.

Sequuntur duo versus, quos Luc. Müller ita desperavit, ut utrumque notissima illa cruce critica signaverit. Mihi ad restituendos eos M. Hauptii coniectura sufficere videtur scribentis:

Unda Clytaemestrae stuprum vehit altera, Cressam
Portat mentitam lignea monstra bovis,

nisi quod codicum primi verbi scripturam una, quam iam Hertzbergus voci altera originem debere vidit, non ex unda, sed e cumba corruptam puto. Qua in re ne quid neglexisse videar, affirmo me non ignorare in codicibus nostris verbum illud ubique per y litteram scriptum esse; sed illi ipsi Propertii codices neque aetate neque indole ei sunt, quibus in rebus orthographicis quicquam auctoritatis tribuatur.

Quid in insequentibus versibus Andromedae commemoratio sibi velit, haut facile dixeris, neque, cur haec inprimis sine fraude marita appelletur, quisquam expediverit. Sed de hac re copiosius dicendum erit, si interpolationis causam agemus.

Venimus ad verba versus 64. pectora nota. Quae quantumvis explicare conati sint Lachmannus et is, qui in conservandis, defendendis, explicandis vel corruptissimis codicum verbis haut scio an a nullo superetur, Hertzbergus, tamen pauci inveniantur, qui intemerata esse ista iudicent. Neque praeteritis saeculis defuerunt, qui versus nostri sanandi periculum facerent (vide Hertzb. ad h. l.); recentiorum autem Heimreichius nota pericla proposuit. Quae coniectura etsi magis apta est ad argumentum totius loci, quam aliorum, tamen cum propter nimiam litterarum dissimilitudinem, tum maxime propter verborum metathesin verisimilis non est. Nam si nostri codices pectora nota exhibent, Scaliger autem in libro suo invenit corpora nota, concludendum est priores litteras in archetypo difficiles fuisse ad legendum et ab aliis librariis aliter ex arbitrio suppletas esse. His igitur finibus omnis coniectura teneatur oportet. Ipsi dubitantes et conaminis veniam precantes proponimus aut facta remota aut fata remota.

Denique in v. 69. valde offendit vox sanamus, quae, ut postea cognovimus, iam Passeratio et Broukhusio displicuit. Ne tamen eorum inventum solamur probemus, eo prohibemur, quod totus hic locus non eum in finem compositus videtur, ut feminae etiam apud inferos praeterita mala lugentes describantur, sed potius, ut amor fidelis etiam mortem superare demonstretur: id quod et versu 53. et Hypermnestrae exemplo et versu 70. apparet. Non enim lacrimae istae,

de quibus Cynthia hic loquitur, ea de causa oboriuntur his mulieribus, quod perfidiam vel duritiam vel alia eius modi a viris passae sint, sed quia narratione praeteritorum malorum ita moventur, ut lacrimas tenere non possint. Tam enim vividam esse inprimis in mulierculis rerum adversarum recordationem, ut ipsa miseria tanquam a mortuis resuscitetur easque lacrimas fundere cogat, quis est, qui nesciat? Itaque si Cynthia lacrimarum mentionem facit, non ita intellegendum est, quasi dicere velit ne in orco quidem querelarum finem esse, sed ipsae illae lacrimae memores, quae tamen aliquid habent iucunditatis, significantur. Hac de causa in versu nostro neque sanandis neque solandis amoribus locus est, sed confirmandis. Lege igitur mecum:

Sic mortis lacrimis vitae sancimus amores.

Quam facile sancimus e sanamus fieri potuerit, non eget explicatione. Observa, quaeso, etiam illud blandissimi item atque dulcissimi amoris documentum, quod v. 70. continetur.

Restat, ut in fine disputationis nostrae asseveremus eum, qui hanc particulam scripserit, sive ipse Propertius fuerit, sive alius (modo ineptae Andromedes commemorationis ne memineris), ab elegantia et poetico ingenio minime fuisse alienum.

V, 9, 70.

Hoc loco editores codicem G. aliosque deteriores et notam marginalem, quae est in Hamburgensi, secuti in textum receperunt:

Herculis eximii ne sit inulta sitis.

Sed cod. N. isque, qui saepissime cum eo facit, Hamburgensis, nec non Vossianus, melioris notae liber, haec verba longe ab illis diversa in textu habent:

Hercule exterminium nescit inulta sitis.

Quae cum neque ad metrum quadrare neque sanam sententiam continere viderentur, ita desperata sunt a viris criticis, ut ne rationem quidem eorum habuerint: nisi quod Ungerus (emendat. Propert. p. 18.) emeriti a Propertio scriptum fuisse censet, quod cum eximii in vocem exterminium conflatum sit. Sed neque eximii neque emeriti Herculis hic satisfacere commemoratio nobis videtur, sed unius exclusi et ab aqua prohibiti. Haec autem notio voci exterminii inest, quae, quamvis nisi apud Tertullianum nusquam occurrat, tamen, cum e legibus linguae latinae formata sit, non est, cur Propertio abindicetur*). Accedit, quod in codicibus N. Hb. V. non legitur ne sit, ut in cod. G. et aliis deterioribus, sed nescit. Foedissimae igitur interpolationis is, qui scripsit librum N., insimulandus sit, si non solum id vocabulum, quod est exterminium, in textum suo arbitrio importaverit, sed etiam, ut versus sensu ne careret, ex ne

*) Ut enim a vaticinando vaticinium, a latrocinando latrocinium, sic ab exterminando exterminium proficiscitur.

sit fecerit nescit. Quae suspicio in perspecta et probata fide codicis N. locum habet nullum. Iam vero quaeritur, quid de primo isto verbo Hercule faciendum statuamus. Laedi eo leges metricas nemo non videt. Tollitur autem vitium, si eiecta u vocali formam syncopatam Hercle restituimus. Haec igitur genuina totius distichi verba fuisse censeo:

Haec (ara) nullis unquam pateat veneranda puellis:
Hercle! exterminium nescit inulta sitis.

Quorum sententia haec est: „Non inulta, profecto, sitis se excludi et ab aqua prohiberi patitur.“ Mirum videtur fortasse, quod Hercules orationis suae confirmandae causa se ipsum quasi testem citat. Sed si consideramus ita usitatam fuisse istam affirmationis formulam apud viros romanos, ut nomen Herculis fere evanuisset neque in animis affirmantium quicquam haereret, nisi vis affirmativa, facile ignoscemus poetae, quod oblitus eius, quem induxerat, Herculem se ipsum advocantem fecit. Nec vero Hercules de sua tantum siti loquitur, sed in universum de siti nullas leges nullaque vetita curante sententiam communem profert.

Dum haec scribo, alia cogitatio de origine discrepantiae lectionis animum subit, quam breviter exponere liceat. Fortasse enim Herculis nomen, quod variante forma in utroque genere codicum legitur, omnino non Propertio debetur, sed glossatori. Conici enim potest Propertium scripsisse:

Nostra exterminium nescit inulta sitis.

Horum verborum primo, ne perperam intellegeretur, nescioquis Herculis nomen pro glossemate superscripsit, quod paullatim primario vocabulo extruso in ipso textu resedit. Hinc duo genera emendationum nata sunt. Alter enim librarius, qui quasi pater est Groningani codicis et quorundam aliorum, numeros laesos esse sentiens non sine aliquo ingenii acumine pro exterminium nescit posuit eximii ne sit, cum alter, is, ex cuius libro Neapolitanus et Hamburgensis (intercedentibus nescioquot exemplaribus) fluxerunt, minus audax nihil nisi clausulam verbi Herculis mutaret, sive litteris paullum obscuratis deceptus, sive aliqua tamen ex parte claudicantibus numeris auxilio venturus. Sed haec maiora sunt, quam de quibus certum iudicium facere possimus; satis igitur habemus doctiorum hominum et ingeniosiorum oculos in hanc rem spinosam et nodosam convertisse.

V, 11, 24.

Hic versus in libris manuscriptis et in vetustioribus editionibus sic legitur:

Fallax Tantaleo corripiare liquor.

Tradita verba qui defendere student, ut Hertzbergus, longiorem formam nominis Tantali statuentes Tantaleo idem valere arbitrantur, quod Tantalo. Recte autem Lachmannus in edit. Lips. (1816.) dicit neque sibi neque ceteris interpretibus Tantaleus pro Tantalo lectum esse. Addit se assentiri Aurato et Heinsio corrigentibus:

Fallax Tantaleo corripere ore liquor.

Quod clarissimi viri iudicium secuti sunt M. Hauptius et Luc. Müller. Verum haec coniectura quamvis blanda tamen habet, in quo offendas. Nam si consideramus optativorum, per quos procedit oratio Corneliae (vaces, taceant, corripiare, petat, iaceat), seriem media voce in corripere mutata foedissime interrumpi, aegre poetam ita scripsisse concedemus. Minus etiam nobis probatur alia coniectura a Kochio (in symb. phil. Bonn.) prolata. Hic enim reiecta voce fallax pro ea gutture reponi vult. Qui autem fieri potuerit, ut ex gutture efficeretur fallax, ne Kochio quidem facile sit ad demonstrandum.

Iam, quid ipsi sentiamus, expositurі animos legentium ad certum quoddam corruptelarum genus advertimus in libris Propertianis passim obvium. Quod quale sit, ex his exemplis intelleges. Si III, 26, 29. in omnibus libris pro Argus scriptum invenimus Argo, porro si v. 66. carminis nostri consule quo facto aperte corruptum est ex consul quo factus, causa quaerenda est, quomodo factum sit, ut utrobique codices pro clausula us suppeditent o. Atque mihi quidem hoc verisimillimum est a librario archetypi compendium 9, quod in fine verborum us significat, aliquotiens ob figurae similitudinem pro littera o sumptum esse*). Quo errore etiam hoc nostro loco captus videtur ille, cum Tantaleo pro eo, quod scriptum fuit Tantale9, poneret. Quamobrem versum nostrum sic restitutum velim:

Fallax Tantaleus corripiare liquor,

in quo quid reprehendas non video.

Plures etiam locos tractaturus eram, sed coerceor concessi spatii mensura finita. Itaque, ne ea, quae publici iuris facere instituerам, in incertum quoddam tempus differantur, prolixius scribendi genus missum facio et quae reliqua sunt theseon in morem propono.

1. I, 4, 24. initio et in est mutandum est. Lege igitur:

Nullas illa suis contemnet fletibus aras,
Est quicumque sacer, qualis ubique lapis.

Cf. Tib. I, 2, 39. IV, 1, 197.

2. I, 5, 2. quo sumus omissa praepositione in audacissime dictum est. Ceterum ea verba otiosa sunt. Propertium sic scripsisse puto:

Invide, tu tandem voces compesce molestas
Et sine nos cursu, quaesumus, ire pares.

*) Eodem modo vitiatus mihi videtur versus I, 1, 36., ubi pro assueto amore primitus assuetus amore fuisse suspicor. Neque V, 4, 39. id quod codd. habent Tarpeio cum L. Müllero in Tarpeia mutandum est, sed hic quoque Tarpei9 scriptum fuit. Cf. etiam quae ad V, 2, 34. de cod. Hamb. scriptura diximus.

3. I, 7, 26. verbum in fine positum Amor e versu 20. repetitum est. Scribendum esse honor ex argumento totius carminis et ex comparato versu IV, 1, 22. apparet.

4. I, 11, 3. nec Thesproti nec te Protei idoneum sensum praebet; quare paullo longius a traditis litteris recedens scribo: te Zephyri (te cephiri).

5. I, 13, 8. pro corrupto vocabulo codicum adire non tam abire, quam obire scribendum est.

6. I, 15, 39. multos pallere colores absurdum est. Scribe uultus pallere colores (cf. Statii silv. III, 4, 51. roseos vultus).

7. I, 16, 38. lego:

Quae solet ingrato dicere probra loco.

8. I, 19, 21. illud, quod in libris manuscriptis extat e, non ex a neque ex heu corruptum, sed ex et decurtatum puto.

9. I, 21, 4. pro proxima militiae malim proxima amicitiae. Gallo sororem alterius militis desponsam fuisse suspicor.

10. III, 11, 3. codicis G. scriptura secum repudianda est, recipiendum e reliquis tecum.

11. III, 16, 29. ultima littera verbi amaris delenda est.

12. III, 21, 12. id, quod in cod. G. legitur domum, nimis diu interpretes fefellit. Ceterorum librorum scriptura domo verissima est, modo recte verba distinguas. Haec igitur totius distichi species fuit:

Colchida sic hospes quondam decepit Iason:
Eiecta est, tenuit namque Creusa, domo.

Eiusdem carminis versu sequente pro absurdo iuvene est rescribo nivea est.

13. III, 25, 21. sq. sic distinguendum est:

Tu quoque, quî pleno fastus assumis amore?
Credule, nulla diu femina pondus habet.

14. III, 32, 22. unus Neapolitanus verum servavit: „quanta meretur“. Quod est in reliquis libris mereris, quomodo legibus grammaticis defendi queat, non video. Meretur passive accipiendum est.

15. Versuum elegiae III, 34. hic est genuinus ordo: [v. 1—23.] v. 23—38. 45. 46. 51—54. 39—44. 47—50. 55—78. 83. 84. 79—82. 85—94.

v. 27. pro solum fuit serum.

Versus 39. 40. sic scribendi sunt:

Num Amphiaraeae prosint tibi fata quadrigae
Aut Capanei magno grata ruina Iovi?

16. IV, 1, 9. pro sublimis ea forma, quam Ritschelius poetis comicis, Ribbeckius Vergilio reddidit, sublimen restituenda est. Non enim est Fama sublimis, sed Propertium sublimem levat.

17. Distichi IV, 1, 11. 12. haec fuit species primaria:

Et mecum in curru parvi vectantur Amores,
Scriptorumque m e a t turba secuta rotas.

18. IV, 5, 8. codices N. et D., qui c a u t e pro c a u t i habent, manum Propertii servarunt.

19. IV, 12, 25. tantum abest, ut Propertium balbutientis panegyristae Tibulliani verba C i c o n u m m a n u s (Tib. IV, 1, 54.) repetisse credam, ut, quod in codicibus legitur C i c o n u m mons, levissime e m o r s mihi corruptum videatur. Versu 28. durissimum genus dicendi a l t e r n a s s c i s s a C h a r y b d i s a q u a s aptissime removeatur scribendo:

Scyllaque et a l t e r n a n s scissa Charybdis aquas.

20. IV, 13, 15—24. interpolati sunt.

21. Sex priores versus elegiae IV, 18. sic disponendi sunt:

Clausus ab umbroso qua ludit pontus Averno
Et sonat Herculeo structa labore via,
Hic, ubi, mortalis dextra cum quaereret urbes,
Cymbala Thebano concrepuere deo,
Qua iacet et Troiae tubicen Misenus harena:
Fumida Baiarum stagna tepentis aquae.

His v. 7. ita adiungendus est:

A nunc invisae magno cum crimine Baiae.

22. IV, 21, 21. codicum scriptura tenenda est:

Quod superest s u f f e r r e, pedes, properate laborem.

23. Duo priores versus carminis V, 2. sic scribendi sunt:

Q u i mirare meas tot in uno corpore formas,
Accipe Vertumni signa paterna dei.

24. V, 3, 48. AFRICVS ex eis litteris quadratis, quae sunt AERIS, facillime corrumpi potuit. A e r i s f r i g o r e pater aquas a l t a s (scil. Scythiae iugorum) in glaciem nectit.

25. Distichon V, 4, 17. 18. hoc loco ineptissimum summo iure priores editores post v. 92. posuerunt. Fortasse autem initio versus prioris e t in s i mutandum est.

26. V, 4, 34. Neapolitani (et Hb.) scriptura:

Dum captiva mei conspicer e s s e Tati

unice vera est. C o n s p i c e r passive dictum est, ut passim.

27. V, 5, 73. codicum N. Hb. V. H. scriptura e x p o r r e c t a multo praestat ei, quae vulgo legitur, e x p e r r e c t a.

28. V, 11, 64. pronomina possessiva inter se commutanda sunt:

Condita sunt n o s t r o lumina v o s t r a sinu.

Absoluto demum hoc libello et iam operis tradito copia mihi facta est inspiciendae editionis Burmanno-Santenianae. Hanc pervolvens video nonnulla eorum, quae primus indagasse mihi videbar, iam a prioribus praerepta esse. Quamobrem, ne cui alienis pennis me exornaturus videar, paucis indicabo, quas coniecturas iam ab aliis prolatas esse ex editione illa cognoverim. Sunt autem hae. II, 2, 11. s a c r i s iam a Passeratio temptatum est. III, 29, 21. pro u t scribendum esse a u t Ayrmannus quoque censuit. A versu III, 29, 23. novam elegiam incohandam esse iam Guyetus vidit. V, 2, 1. q u i m i r a r e scribi maluerunt etiam Heinsius, Oudendorpius, Marklandus. V, 7, 55. g e m i n a s s e d e s iam Heinsius coniecit.

Index locorum.

II.

I. Uebersicht des im Schuljahre 187^{6}/$_{7}$ durchgenommenen Lehrstoffes.

A. Gymnasium.

Prima. (Ordinarius: Director Plass.)

1. **Religion.** Sommer: Glaubenslehre (nach Hollenberg). Römerbrief cap. 1—5 im Grundtext. Winter: Römerbrief cap. 6—16 im Grundtext gelesen. Erklärung der confessio Augustana. 2 St. Von Ostern bis Michaelis Meyer, von Michaelis bis Ostern Divisionspfarrer Schild. — 2. **Deutsch.** Literaturgeschichte von Luther bis Göthe. Lectüre: Gudrun, Braut von Messina. Egmont. Freie Vorträge. Disponierübungen. Aufsatzthemata: 1. a. Welchen Feinden erlag das Hohenstaufenhaus? b. Warum und wie Siegfried erschlagen ward. 2. a. Was man ist, das blieb man andern schuldig. b. Wird dem grossen Kurfürsten die Begründung der Machtstellung Preussens mit Recht zugeschrieben? 3. Klassenarbeit: a. Man lebt nur einmal in der Welt, ein verwerfliches und ein vortreffliches Wort. b. Die Stellung Karls V zur Reformation. 4. Welche Erscheinungen führten im 16. Jahrhunderte den Anfang der neuen Geschichte herbei? 5. Schilderung des Lebens am Hofe zu Worms (Erster Theil der Nibelungen). 6. Kann man Sokrates eine tragische Persönlichkeit nennen? 7. Was erfahren wir über Wallenstein aus Schiller's Wallensteins Lager? 8. Soldatenleben im dreissigjährigen Kriege. (Nach Schiller's Wallenstein.) 9. Klassenarbeit: a. Inwiefern lassen sich Philipp II. und Ludwig XIV. in in ihren Bestrebungen auf politischem und kirchlichem Gebiete mit einander vergleichen? b. Quid sit futurum cras, fuge quaerere. 10. Darlegung der Hauptpunkte in der Vertheidigungsrede des Sokrates (Plat. apol.) 3 St. Oberlehrer Dr. Kolbe. — 3. **Latein.** Sommer: Taciti Annalium lib. XIV. XV. XVI. Winter: Ciceronis epistolae. Sammlung von Süpfle 1—46. 4 St. Süpfle. Materialien für lateinische Stilübungen 1—20. 1 St. Extemporalien meistens nach Muret. 1 St. Aufsätze: 1. Comparantur inter se Coriolanus et Alcibiades, uter majore fuerit patriae amore. 2. Lycurgus in republica Lacedaemoniorum, quid spectaverit? 3. Parricidium Neronis. 4. Qualis Aristides Athenis. talis Romae Fabricius. 5. Ducentorum annorum bellis Germani magis triumphati, quam victi sunt a Romanis. Clausurarbeit. 6. Paetus Thrasea a Nerone ad mortem adigitur. 7. Demosthenes et Cicero inter se comparantur non dicendi vi aut moribus, sed fortuna casibusque. 8. Ciceronis epistola ad Quintum fratrem. Asiae propraetorem, scripta. 9. Optime a natura instructis maximam adhibendam esse institutionem. Chrie. 10. Quibus causis adductus sit Pompejus, ut a societate cum Caesare facta descisceret? Clausurarbeit. 11. Misera plebis Romanae ante Gracchos conditio. Zusammen 6 St. Director Plass. Horaz, im Sommer Carm. lib. III. Im Winter Carm. lib. IV und einige Epoden. Satiren und Episteln. 2 St. Bartsch. — 4. **Griechisch.** Demosth. oratt. de pace und Philipp. 2 und 3. Platon. Apol. Soph. Antig. Hom. Il. V, 380—909. VI. VII. Grammatik nach Koch, Repetition der Formenlehre. Ausgewählte Abschnitte aus der Syntax. Alle 8—14 Tage Extemporalien. 7 St. Kolbe. — 5. **Französisch.** Histoire de Charles I. par Guizot beendet und le Misanthrope par Molière. Exercitien aus Schillers Geschichte des dreissigjährigen Krieges. Extemporalien. 2 St. Reibstein. — 6. **Englisch.** W. Irving's Sketchbook. 1 St. Reibstein. — 7. **Hebräisch.** Sommer: Das Verbum repetirt, Nominallehre bis zu den Nominal-Suffixen durchgenommen nach Seffer's Elementarbuch bis § 88. Winter: Durchgenommen

